

No. 503. 1358. 16. Mai.

*B. Johann fordert mit Einschaltung eines ihm zugegangenen officiellen Schreibens des Card. Guido den B. Dietrich von Brandenburg auf, sich binnen eines Monats zu erklären, ob er an der ihnen aufgetragenen Untersuchung und Prüfung der die Besetzung des bischöfl. Stuhles zu Naumburg betreffenden Fragen Theil zu nehmen gedenke.*

Reverendo in Christo patri ac domino, domino . . Brandenburgensi episcopo, suo in infra scripto negotio collegae, Johannes dei gratia episcopus Missnensis salu-tem et sinceram in domino karitatem ac mandatis apostolicis firmiter obedire. Nove-ritis nos litteras reverendi patris, domini Gwydonis Portuensis et sanctae Rufinae [episcopi]<sup>1)</sup> sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalis clausas et ipsius sigillo sigil-latas recepisse ac ipsas de speciali commissione reverendi patris domini Ludovici electi Halbirstadensis aperuisse, in quibus interclusi erant articuli, quorum copiam vobis etiam una cum praesentibus transmittimus, quarum litterarum tenor per omnia erat talis:

Gwydo miseratione divina Portuensis et sanctae Rufinae episcopus, sacro-sanctae Romanae ecclesiae cardinalis, venerabilibus patribus dominis . . Missnensi et Brandenburgensi episcopis ac . . electo Halbirstadensi salutem in domino et mandatis nostris, imo vero apostolicis firmiter obedire. Dudum vacante ecclesia Nuemburgensi per translationem venerabilis patris domini Johannis, tunc electi eiusdem ecclesiae ad ecclesiam Luthemuslensem, expositum fuit sanctissimo in Christo patri ac domino nostro, domino Innocentio divina providentia papae VI<sup>o</sup>, quod religiosus vir frater Burchardus de comitibus de Mansfeld ordinis fratrum minorum ess[et] et habi]lis et ido-neus ad praedictam ecclesiam in spiritualibus et temporalibus gubernandam circum-spectione, scientia et potentia amicorum, ipseque ad eandem ecclesiam nominatus fuit per nonnullos magnae auctoritatis viros, ac significatum et assertum, quod erat in spiritualibus providus et in temporalibus circumsp[ectus], vitae laudabilis et conversationis honestae ac talis, quod, si eidem provideretur, sperabatur verisimiliter quod ipsi ecclesiae praesset salubriter et prodesset. Ante provisionem vero factam dicto venerabili patri de dicta ecclesia et post translationem eiusdem ad ecclesiam Luthemuslensem eidem domino nostro papae fuit pluries et frequenter pro parte Rudolphi in eadem ecclesia Nuemburgensi intrusi supplicatum humiliter, quod, cum tempore electionis de ipso ad dictam ecclesiam Nuemburgensem factae munerumque confirmationis et consecrationis assecutorum per eum, tam ipse, quam eligentes, confirmans et consecrans, fuerint cuius-cunque reservationis ipsam ecclesiam concernentis sanctae sedis apostolicae ignari, et eandem factam de dicta ecclesia ignoraverint omnino, ipseque Rudolphus, ut asserebatur, paratus esset, sanctae sedi apostolicae obedire ac in ipsius obedientia vellet vivere et mori et sponte suscipere poenitentiam pro commissis delictis, dummodo dominus noster dignaretur eidem de praelibata ecclesia misericorditer providere, maxime cum per munus consecrationis per eundem adeptum reputata fuerint vacare beneficia, quae antea obtinebat, aliisque collata et per ipsos possessores assecuta, et sic cum ad

1) *episcopi* fehlt im Orig.